



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SS. Aurelius & Natalia MM. 27. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

ABUNDIO constitit. Vivi enim in cloacam demersi à Valeriano animas pulcherrimā tamen morte posuerunt. Itaque etiam sanctior ludit fortuna, quando non jam ab aratro sed è cloacā ad purpuram & ad Martyrum purpuram vocat. *Ex actis D. Laurentii.*

*Quan̄o quis altius se per tumorem mentis erigit, tanto magis in imo despicabilius jacet. E' contrario è honorabilius humilis coram Deo provehitur ad summa, quò per vilem sui estimationem se vilipendendo magis collocat in profundo. S. Laur. Just. de Humil.*

SS. AURELIUS & NATALIA MM.

27. Augusti.

**O** Quām pulchra est casta generatio ! quæ tantum splendorem etiam thalamo conciliat. Audi orbis, &, si vides, hunc juxta mecum vide. Sustulerat jam AVRELIVS è conjugē NATALIA geminam prolem ; abhinc ergo castitati placuit, non liberis vacare. Sed & cælo hoc cumprimis placuit, cuius oculos nulla alia tam facile virtus, ut castitas rapit. Certè ocellus cæli Christus inter Angelorum comitatus visus descendere, & hic quidem benedicere cubantibus, illi tapete candido etiam pavimentū, quod tam pudici pedes premebant, vestire. Virginum etiam Regina ad spectaculum Superis tam jucundum delapsa cælo, solari in non viduo lecto viduos conjuges voluit. O Superi ! quæ ego somnia tam castè dormientiū fuisse putem, ubi lectum VIRGO MATER & VIRGO FILIUS sternere veluti non dubitavit ? quām moliter credam cubuisse, cùm suas Angeli plumas cælo afferrent ? Et audi quām suavibus somniis cælum demulserit castos. Cùm assēm in pauperes &

mar-

27. Aug. VITÆ SANCTORVM. 421  
martyres erogassent, ex his florâ laurâque AVRE-  
LIA per somnum visæ utrique præmium operæ  
martyrii palmam sunt pollicitæ. Non fefellit tam  
sanctus Morpheus. Ducti ad supplicium cum plu-  
rimis aliis (ex quibus uni scala in cælum se porri-  
gens viam scilicet ostendit) caput truncandum  
pro fide præbuerunt, duplii dehinc titulo beati,  
cum & conjuges & martyres audiunt, iidemque  
& casti & fortis. Ex Surio.

O quam beata mens, que propter sui innocentiam in  
conspicu invictissimi eternique Regis astare non vere-  
tur, & ad quam velut in proprium thalamum celestis  
festivè declinat sponsus! S. Lau. Just. de cast. con. c. 14.

S. CÆSARIUS CONF. 27. Augusti.

Quisquis flores aut fraga legis inter Poëtarum  
vireta, heu! cave tibi; latet anguis in herbâ.  
Vides indormire CÆSARIVM serpentis amplexi-  
bus? Non Æsculapius erat hic, sed Apollo, profa-  
nus inquam codex, cui noctem quandoque invi-  
gilabat ille, cum precibus debuisset. In somnis  
ostendit cælum, serpentis non libri volumina esse,  
quibus incumberet. Quare manibus hæc excussit.  
Tu quoque, quæ in sinu hos angues imò in oculis  
geris legendo, cavebis, iterum moneo, juventus.  
Cæterum puer CÆSARIUS non semel prætextam  
posuit, ut pauperes hanc acciperent, domi deinde  
spoliatum se à prætereuntibus commentus, cum  
interim ultrò in has prædonum manus accurre-  
ret. E mundo cum abiret, inconsultis id parenti-  
bus (ne viam obsiderent) fecit. Abhinc mundo  
mortuum quis negabit, quando ubi Abbas ad  
Episcopatum Arelatensem quærebatur, tumulo,  
quo se absconderat, fuit extrahendus? Multis sa-